



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. XV. Bonon primogenituræde Podiis. De concursu in primogenituris inter prærogativam lineæ, ac illam gradus, An scilicèt post defectas aliquas lineas vel genera personarum, vocato proximior, ...

etiam disponitur per Bullam Baronum fideicommissis ac majoratibus derogantem, Tum quia bona libera ipsius Baronis, pro cuius debitis bona fideicommissaria alienantur, supponuntur fideicommissis, ac subrogantur loco alienatorum; Tum etiam quia si aliquid superest de pretio, mandatur pariter poni sub multiplico usque ad integrum valorem bonorum alienatorum, ut ita fideicommissum reintegretur, ut ex Bulla contextu patet.

Et quando non agitur de derogatione formali ad effectum alienandi, sed de huiusmodi dispensationibus seu derogationibus præceptis prohibentibus mixturam, tunc tales gratia concedi solent, quando alia exorbitantia non concurrat, nisi illa derogandi voluntati defuncti absque præiudicio tertii viventis, quia nempe filius ac descendentes gravati, cui gratia seu dispensatio conceditur, & aliis vocatis, ita mixtura ob alterius fideicommissi assequutionem magis profit quam noceat, unde subintelligi seu præsumi possit etiam voluntas ipsius testatoris, quod si viveret ac interrogaretur, huiusmodi mixtura ob maiorem suorum descendendum seu generis dilecti ditatorem, ac splendorem, verisimiliter consentiret juxta ea quæ habentur supra *disc. 12.* Sed ubi præiudicium est de præsentis eius, qui expressè se opponit & contradicit, & qui nec in re, nec in spe aliquid commodum pro se vel ejus descendencia ex huiusmodi mixtura reportare vel sperare potest, tunc nulla subesse videtur ratio, quæ huiusmodi gratiarum concessionem suadeat; Ideoque concludendo dicebam, probabilius videri in hac facti specie gratiam denegandam fore, ut credo sequitur.

Quo vero ad alterum punctum restitutionis fructuum medio tempore perceptorum, in quodam transmissio discursu consulentium de partibus, deducebantur auctoritates *Grat. cons. num. 75. lib. 2. & Paris. cons. 19. num. 53 & seq. lib. 2. cum quibus pertransseunt Peregr. art. 11. num. 121. & Fusar. quest. 147. n. 3.* apud quos in specie de restitutione fructuum perceptorum faciendâ per gravatum, qui contraveniat præcepto testatoris non assumendo cognomen & insignia, sive prædicta jam assumpta deserendo; Quod clarius iidem Consulentes procedere dicebant in isto casu, dum non solum aderat dictum præceptum generale, quod juxta magis communem ac receptam, etiam si nullam contineat pœnam caducitatis, illam inducere dicitur juxta firmata per Rotam in decisionibus editis *coram Veroffio & Bourlemont in Bonon. primogenitura de Luparis*, de qua supra *disc. 7.* ubi concordantes, sed aderat præceptum speciale individuum, ob quod indubitate resultabat incompatibilitas cum pœnæ adjectione, unde propterea spereretur magis clarus.

Et his addebant magis communem ac in foro receptam distinctionem, quam habemus in materia mulieris transeuntis ad secunda vota contra præceptum testatoris, An teneatur restituere fructus prius perceptos necne; Quod scilicet, Aut agitur de re particulari, & fit distinctio, an præceptum conceptum sit per viam conditionis, & intret restitutio, aut per viam modi & secus; Aut verò agitur de hæreditate, & tunc indistincte ad dictam restitutionem teneatur, quia hæreditas in diem dari non potest ex deductis per *Greg. & Aden. decis. 187. Rot. decis. 240. num. 40. & seq. par. 5. rec. in Interannen. usufructus coram Cerro 18. Junii 1649 decis. 329 par. 10. rec. Romana, fideicommissi de Donatis 7. Junii 1660. coram eodem Cerro & sequenter*; Et ideo cum in præsentis ageretur de hæreditate, quomocumque dispositio con-

cepta esset, dicebant locum esse dictæ restitutionis fructuum.

Contrarium tamen, his non obstantibus, in hac parte respondendum censui, quoniam enim ac speciale præceptum prohibitorium mixturæ non continebatur in prima dispositione hujus hæreditatis Oliverii, sed potius in secunda, & consequenter cessante positiva contraria voluntate hujus testatoris, adhuc prætendi potuisset ipsius testatoris consensus permissivus, ut hanc secundam pinguiorem quoque ejus hæres obtinere posset, ex his quæ habentur apud *Molinam de primogenitura lib. 2. cap. 10. Theaur. decis. 270. Fusar. q. 447.* & advertitur supra *disc. 12.* Unde quidquid sit de huiusmodi præcepti voluntate seu permissione ad effectum retentionis utriusque hæreditatis, dum aderant alii, qui ab altera mixtura familiarum dicti primi testatoris conferre poterant, ac etiam quia secundus testator omnino eadem desertionem primæ familiæ demandaverat, de ita voluit omnibus consilere, ut scilicet in habito possessore ejus hæreditatis, utpotè cum illa bene proviso, pinguiore fierent portiones aliorum primæ.

Adhuc tamen certum est, quod cum agnitione secundæ hæreditatis incompatibilis proveniat ex ista & rationabili causa de tempore aditionis primæ inopinata, atque ex fortunæ beneficio supervenit, ob quam ut supra in sensu aliquorum etiam præceptum impune sperni potest, idcirco id sufficiens inducendam justam causam excusantem ab obliquo, quod verum vel præsumptum dolum supponunt *Grat. & Parisius*, ac alii ubi supra loquentes in casu, in quo contraventio proveniat ex facto non voluntario, quod quemdam testatoris præsumptivum ac injuriam præferre videatur, nulla concurrente probabili causa postmodum superveniente, quæ excuset, ut est casus voluntariæ non assumptionis, vel desertionis familiæ sine causa, vel transitus ad secunda vota cum similibus.

BONON. PRIMOGENITURÆ DE PODIIS

PRO

BARBARA DE PODIIS
& MONTECUCOLIS

CVM

JOANNE CELLESIO.

*Causa disputata in Rota, & resoluta
ut infra.*

De concursu in primogenituris inter prærogativam lineæ, ac illam gradus, An scilicet post defectas aliquas lineas vel gradus personarum, vocato proximioris, tenet ille, qui sit talis attenda sola ratione computatione graduum, non curata prærogativa lineæ, vel potius ista prærogativa

attendi debeat, itaut ille qui est proximior in linea primogenita quamvis in gradu remotior, vincat gradu proximioris lineæ secundogenitæ.

SYMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 **R**esolutio causæ.
- 3 **Q**ualis esset causæ punctus.
- 4 **D**e ordine attendendi primò lineam, secundò gradum, tertio sexum, quartò ætatem.
- 5 **D**e beneficio representationis, ob quod remotior de lineâ primogenita vincit proximioris de lineâ secundogenita.
- 6 **Q**uod per vocationem proximioris ipsi testatori non censetur alterata juris regula.
- 7 **D**e regula ut lineâ semel admittitur semper duret, & non fiat transitus ad aliam nisi ea finita.
- 8 **D**eclaratur quomodo & quando regula procedat.
- 9 **Q**uando fit transitus ad diversum ordinem substitutionum, tunc attenditur proximitas gravantis remissivè.
- 10 **D**eclaratur ordo de quo supra n. 4.
- 11 **D**e beneficio representationis quando intret.
- 12 **Q**uod sexus debeat vincere gradum, ubi contemplatio est agnatio artificialis.
- 13 **A**n femina possit renovare familiam per artem.
- 14 **D**eclaratur conclusio, ut semina veniant sub nomine agnationis.
- 15 **E**adem contemplatio agnationis viget in familia vera, ac ficta vel artificiali.
- 16 **D**e casu alterius controversiæ.
- 17 **V**bi data est prelatio masculis, tunc filius vel nepos excludit matrem vel amitam.
- 18 **V**bi intrare potest representationis beneficium, tunc semper lineâ vincit gradum in primogenituris.

DISC. XV.

Cardinalis Podius in universâ hereditate, præsertim verò in conspicuo palatio in Civitate Bononiæ perpetuam primogenituram instituit. Primo in lineâ masculinâ Christophori primogeniti, eaque defecta, in lineâ masculinâ Camilli secundogeniti ex Alexandro fratre prædefuncto nepotum; Utraque verò lineâ masculinâ defecta, vocavit lineam masculinam fœminæ ex ultimo possessore superstitis, qua non extante vel etiam defecta, vocavit (per verba præcisa) consanguineum vel affinem eidem testatori proximioris, & propinquioris juxta juris dispositionem, servatis semper prelatione & prærogativa inter lineas & sexus.

Extincta verò intra breve tempus utraque lineâ masculinâ prædicta in Joanne filio Christophori defuncti absque prole, unde propterea caducatis secundo & tertio gradibus dictarum substitutionum ad favorem lineæ masculinæ Camilli secundogeniti, ac alterius lineæ ex fœmina ultimi orientis, factoque casu ultimæ substitutionis ad favorem proximioris consanguinei vel affinis ut supra, orta est controversia inter Barbaram filiam dicti Camilli nepotis secundogeniti, quæ tam testatori quam Joanni ultimo defuncto in quarto gradu approximabat, & Joannem Cellesium dicti Christophori primogeniti pronepotem ex Semidea filia & Victoria nepte, qui proinde eodem quarto gradu approximabat Joanni ultimo defuncto, sed à Cardinali testatore distabat sexto gradu; Et introducta causa

Cardin. de Luca De Fideicom.

in Rota coram Bichio, eaque pluries proposita, ob articuli perplexitatem capi non potuit resolutio, unde inter dictum Joannem & Lauram Barbaræ interim defunctæ filiam, seu illos de Montecucolis devotum est ad concordiam; Verum sequuta ad breve tempus morte Lauræ, ex cujus ac Barbaræ juribus causam tuebantur dicti de Montecucolis, qui palatium à dicto Joanne ultimo mafculo emerant, ob dictæ concordie resolutionem ex causa non obtenti Beneficii Apostolici in tempore præfinito, Joannes causam in Rota reassumpit contra dictos de Montecucolis, atque sub die prima Julii 1654. resolutionem favorabilem reportavit, principi aliter ex eo, quod ubi etiam dicta primogenitura præfatis Barbaræ & Lauræ proximioribus delata esset, adhuc tamen ob earum mortem absque prole factus esset casus dictæ substitutionis ad favorem proximioris, ex eo quod non terminaret in primo sed haberet tractum successivum, ut patet ex decisione desuper edita impress. decis. 346. par. 11. rec. repetit. post colluctat. Bondeni decis. 27. in qua solum discutitur pro utraque sententia insinuantur ea, quæ deducta fuerunt in primis disputationibus ante concordiam inter Joannem remotioris de lineâ primogenita & Barbaram proximioris de lineâ secundogenita; Deindeque aliæ habitæ fuerunt disputationes coram eodem Bichio, extra tamen hanc fideicommissariam materiam, super resolutione dictæ concordie ob beneficium obtentum post terminum præfinitum, de quo habetur actum in hac eadem causa sub tit. de alienationibus & contractibus in genere.

In prædictis igitur primis disputationibus inter Joannem & Barbaram ante concordiam præcipuus disputationis punctus fuit, An stante quod testator vocaverat consanguineum vel affinem sibi proximioris, attendenda esset sola prærogativa proximitatis, quæ assistebat Barbaræ, vel potius prærogativa lineæ, quæ assistebat Joanni; Et quidem punctus videbatur involutus, cum plura hinc inde urgerent.

Pro Joanne siquidem habente prærogativâ lineæ primogenitæ, faciebat primo regula tradita per Molin. de primogen. lib. 3. cap. 4. communiter recepta, ut in primogenituris vel majoratibus spectari debeat primò lineâ quæ omnia vincit, secundò gradus, tertio sexus, quartò ætas, ut patet ex plene deductis in materia per Amat. resol. 1. Marcian. disp. 1. cum pluribus seq. cum aliis in hac materia prærogativa lineæ deductis in Panormitana sub tit. de feudis disc. 13. & latius in disc. Siciliæ edita in eadem Panormitana, ac registrata sub dicto titulo.

Nil obstante, quod habens prærogativam lineæ esset gradu remotior, quoniam ex ibidem deductis ac aliis per Amat. & Marcian. ubi supra copiosè colligentes, intrat beneficium representationis, quod remotioris efficit æqualem; Potissimè quia licet testator vocasset proximioris sibi, adjecit tamen illa verba, secundum formam juris, servatis semper prelatione & prærogativa inter lineas & sexum, ex quibus verbis patet ipsum noluisse alterare juris dispositionem, quodque proximitas ad ipsum testatorem directa esset, non ad effectum decidendi quæstionem, ex cujus personæ proximitas regulanda esset, an ex illa gravantis vel gravati, sed ad effectum denotandi, ut debeat esse proximitas etiam ipsius testatoris, ne aliis ab eo extraneis ex sola ratione proximitatis gravati admittendus esset in exclusionem eorum, qui sibi propinqui essent juxta calum de quo sub tit. de emphyt. disc. 3.

D 2

Idque

e LUCA
De
tamentis
t. cat.
CVI
9

Idque clarius procedere dicebant tam scribentes pro Joanne actore quam iudices in hanc partem inclinantes, quod ipse erat de linea Christophori, in quam bona jam ingressa erant, ideoque intrabat hodie receptissima nimiumque vulgaris regula, de qua
 7 *Molina lib. 3. cap. 4. num. 13. cum seqq. Fontanell. decis. 34. Amat. dicta resol. 1. Vrsin. de feudis par. 2. quest. 4. artic. 2. num. 13. & passim*, ut bona in unam lineam, semel ingressa, semper in ea perseverent, neque ad aliam transitum faciant, nisi illa totaliter evacuata, Adeo-ur, exceptis majoratibus Hispaniæ, in quibus peculiaris viget ratio, etiam sola spes seu possibilitas existentia personarum lineæ admittæ hujusmodi transitum impediatur ut supra in *Bonon. primogenit. de Luparis, & in Ferrar. fideicom. de Franchis disc. 7. & 9.*

E converso, ego & ceteri pro Barbara in gradu proximiori scribentes, dicebamus in primis, & quidem cum sensu etiam veritatis, nullatenus in hac facti specie intrare dictam conclusionem de linea semel admittæ omnino evacuanda, illa enim procedit, donec extant personæ capaces, ita ut agatur de continuatione in eadem linea seu personarum genere cum sola prælatione inter eas ratione agnationis vel sexus; Secus autem ubi testator unam lineam vocavit cum certa qualitate, qua defecta transitum fecit ad aliam lineam, neglectis personis de linea prædilectæ talem qualitatem non habentibus, tunc enim illa habetur pro omnino evacuata, eo ipso quod non adfuit nec adesse sperantur personæ ita qualificatæ, cum aliæ non qualificatæ, utpotè per testatorem neglectæ, habeantur acti non extarent in rerum natura, ex deductis per *Vrsin. dicta par. 2. q. 4. tit. 1. num. 13. Gutierrez lib. 5. practicar. q. 67. num. 18.* cum aliis in dicta hujus causæ decisione ac disc. seq. Et conferunt, quæ post præsentem disputationem firmata fuerunt in *Bonon. fideicommissi de Cataneis infra disc. 40.* Siquidem testator defecta linea Christophori primogeniti, omnino neglexit fœminas vel alios de linea fœminina ejusdem, sed transitum fecit ad aliam lineam masculinam Camilli secundogeniti, ergo non curavit ordinem linearum nisi cum qualitate, qua defecta habuit illam lineam pro omnino defecta, faciendo transitum ad aliam, qua etiam defecta atque faciendo transitum ad omnino novum ordinem substitutionum cum novo genere personarum, regredi noluit ad lineam primo admittam, neque reassumere ipsarum linearum ordinem jam evacuatam.

Quod ad evidentiam probari ego observabam, ex eo quod defecta etiam linea masculina secundogenita, testator vocavit fœminam superstitem ex ultimo masculo moriente, quem supposuit esse de hac secunda, ergo in transitu ad diversum gradum substitutionum, diversumque personarum genus, non rediit ad ordinem linearum, cum ita vocare debuisset prius fœminas, earumque descendentes de prima linea, cujus contrarium fecit, ideoque dum vocavit proximiorum, sola proximitas attendi debebat.

Atque in id conferre dicebam conclusionem examinatam infra in *Romana fideicommissi de Victorys disc. 23.* quod scilicet quamvis magis receptum sit, ut attendi debeat potius proximitas gravati quam gravantis, id cesset, quando totaliter evacuato uno ordine substitutionum, fit transitus ad ordinem omnino novum ac diversum, quoniam tunc attenditur proximitas gravantis tanquam in nova successione ex integro, cum declarationibus tamen de quibus infra.

Et quoad regulam seu ordinem supra traditum de attendendo, primo lineam, secundo gradum, tertio sexum, & quarto ætatem, Adverte. am id mihi procedere, quando testator non declarasset proximiorum regulam seipso regulandam esse, tunc enim curatur ordo linearum, præsertim ubi non agitur de continuatione sed de novo ingressu ex integro, bene præsertim ponderat *Vrsin. de feudis d. par. 2. tit. 1. num. 13.*

Quo verò ad repræsentationem, ad vertendum procedi cum aliquo æquivoco, constituendo fundamentum in deductis per *Molinam lib. 3. cap. 4.* per alios Hispanos loquentes de illis majoratibus quoniam ibi datur repræsentatio ultra gradus & præscriptos ex legibus municipalibus regulatur per *Molin. d. cap. 6. num. 28.* ut advertit etiam in *Amat. d. resol. 1. num. 33.* Secus autem in præsentibus terminis juris communis, cum quibus in præsentibus causis procedendum erat; Eis enim attentis, ubi agitur de successione ascendentis, bene intrat repræsentatio infinitum, ubi verò de illa transversalis, non dicitur nisi intra fratrum filios, ut ita proprium patris repræsentantes, patris æquales fiant ex plenitudine legis per *Amat. d. resol. 1. Marcian. d. disp. 1. cum seqq.* habetur actum infra in *Mutinen. fideicom. de Ragnanis & Reatina fideicom. de Vecchiarellis disc. 17. & in aliis.*

In hac autem facti specie, sive spe ætatis per gravantis sive gravati, intrare non poterant repræsentationis, quoniam testator erat transversalis, à quo actor distabat per quinque vel sex gradus atque ab altero Joanne gravato per cuius obitum controversa vacatio sequuta erat, distabat quoque gradu, & sic unius vel alterius persona spectata quam intrabat repræsentatio, unde propter conclusionem ut supra in contrarium ponderata, quæ vis in suis casibus veræ, ita deficiebant in applicatione.

Difficultatem mihi, reflectendo ad veritatem dicebat circumstantia per scribentes in contrarium non ponderata, quod scilicet testator contempserat fuerat agnationem, cupiendo illius consuetudinem, (saltem per modum fictum, & artificialem) mandando proprii cognominis ac insignium adoptionem, quod incongruè practitari poterat in Barbara, quæ hujusmodi artificii non indigebat, ut erat agnata per naturam, sed sive uno, sive altero modo illam haberet, eam ad propriam descententiam transmittere non poterat, quoniam juxta præsertim Italiæ mores, ac juris communis Romanæ dispositionem, filii paternam non autem maternam familiam assumunt, ex iis quæ habentur in *Neapolitana fideicommissi de Laneris disc. 34.* ubi advertitur quod licet aliqui DD. dicant, non implicari, mutationem per fœminam hujusmodi familiarum fictæ artificialis renovatio fieri possit, Attamen id potest dici in majoratibus Hispaniæ, ac juxta mores agnationis, ubi non semper ac uniformiter filii adsumunt familiam patris, sed pro libito vel opportunitate illam matris vel utriusque aviæ respectivè; Potest enim quia testator in verbis supra registratis prærogaverat, nedum prærogativam lineæ, sed illam personæ; Unde cum Barbara esset fœmina prole masculina etiam destituta, non habens nisi unicum filium fœminam, ideoque non posset adimpleri testatoris voluntas, E converso autem Joannes esset masculinus id rectè impleturus, Hinc proinde id mihi videbatur non levem difficultatem, spectata substantia verisimilis voluntatis testatoris; Licet enim etiam se

minæ agnatæ veniant sub nomine agnationis, ac luc-
 14 cedant in fideicommissis agnaticis, ut in d. disc. 40. &
 in aliis hoc in frequenter, attamen intelligitur in sub-
 fidium, & post defectos masculos agnatos, quorum
 jure hic masculus censendus videbatur, quamvis ef-
 fet cognatus, dum ex præcepto testatoris erat effi-
 ciendus agnatus, ut advertitur in d. discurs. 34. Quod
 que ita intret contemplatio agnationis, ubi ea de-
 15 mandata est per veritatem, ac per artem seu fictio-
 nem plenè firmatur in Bonon. fideicommiss. de Barberis
 coram Corrado decis. 95 par. 11. rec. & habetur intra in
 eadem causa disc. 29. & alibi frequenter.
 In proposito autem prærogativæ lineæ, ut præ-
 valere debeat prærogativæ gradus, in his casibus in
 quibus intrat representatio, ita respondi pro veri-
 16 tate in una Urbani. pro Antimo de Gasparinis cum
 Clarice etiam de Gasparinis, Cum enim Clarix fe-
 minor instituitur hæredibus Catharina pronepte, & O-
 ctavio ejus viro, ordinasset fideicommissi in particu-
 lare cum ordine primogenituræ in quodam præ-
 dio ad favorem eorum filiorum & descendentium,
 prius masculorum deinde feminarum, dièti que
 conjuges hæredes instituti duas tantum filias femi-
 nas suscepissent, Barbaram scilicet primogenitam, &
 Claricem secundogenitam, Barbara verò utrique
 parenti prædecessisset, superstitibus dicto Antimo,
 & altera filia femina, facto casu substitutionis per
 obitum Claricem parentis, orta est controversia inter
 dictam Claricem filiam primi gradus, ac præfatum
 Antimum nepotem gradu remotiorem, Atque de-
 super consultus pro veritate, respondi, clarum ac
 indubitatum videri, bonum jus Antimi, non solum
 ex prærogativa lineæ, sed etiam ex illa sexus, dum re-
 statrix expressè masculis prælationem dedit, juxta
 ea quæ de masculo excludente matrem & amitam
 17 habentur supra in Romana fideicommissi de Visinis seu
 Blanchinis disc. 11. ubi difficultas est, quando femina
 est jam admilla, ita ut agatur de ea repellenda & pri-
 vanda successione jam quaesita, ubi verò res est inte-
 gra, & in fieri, tunc nulla cadit dubitatio; Sed etiam
 ex prærogativa lineæ, dum dictus Antimis erat filius

Barbaræ primogenitæ, atque rectè intrabat repræ-
 sentatio in concursu matertera. & sic intra fratrum
 18 filios, concurrente siquidem hoc beneficio, absolu-
 tum videtur in primogenituris vel aliis ordine pri-
 mogenituræ regulandis prærogativam lineæ vince-
 re illam ætatis, unde propterea casus pro meo judi-
 cio habere videbatur de indubitabili.

**V A L E N T I N A
 M A I O R A T V S**

PRO
 COMITE DEL REAL
 CVM
 COMITE DE SELLENT,
 ET CVM
 MARCHIONE DE TARASENA.


Responsum pro veritate.

De eadem materia concursus inter lineam &
 gradum, seu inter gradu æquales conten-
 dentes de prærogativa lineæ in successione
 n ajoratus vel primogenituræ, Et an præ-
 rogativa lineæ vincat ætatem.

S U M M A R I U M.

- 1 Fidei series.
- 2 De exclusionis sexus feminini.
- 3 De regula ut bona in lineam ingressa ab ea non exeant nisi evacuetur, declaratur.
- 4 De natura majoratum Hispania. & de differentia inter eos & majoratus Italia remissive.
- 5 In primogenituris lineæ vincit omnia, secundò gradus, tertio sexus quarto ætas.
- 6 Primogenitus transmittit jus primogenituræ in omnem ejus posteritatem.
- 7 De fundamento quod in causa reputatur solidius.
- 8 Tenor Majoratus post defitas lineas masculinas.
- 9 Motivum dubitandi circa existentiam & durationem majoratus, an scilicet sub nomine filiorum veniant nepotes & descendentes, sed diluitur.

PETRVS LADRON TESTATOR.



Cardin. de Luca De Fideicommiss.

D 3

DISC.

de LUCA
 De
 tamentis
 t cat
 CVI
 9